

Larraz, Blas , S.I.

**De magnificentia regalium aedium Academiae
Cervariensis gratulatio ad eamdem academiam ob
absolutum perfectumque magnificentissimum eius
theatrum oratio habita / a P. Blasio Larraz ... e
Societate Iesu ... XV Cal. Novemb. an. MDCCLXII...**

Cervariae Lacetanorum : typis Academicis, apud
Antoniam Ibarra viduam, [ca. 1762].

Vol. encuadernado con 9 obras

Signatura: FEV-AV-M-01405 (05)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de
España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

*Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de
lucro siempre y cuando se cite la fuente*

N. 4.
(5)

DE MAGNIFICENTIA
REGALIVM AEDIVM
ACADEMIAE CERVARIENSIS
GRATVLATIO
AD EAMDEM ACADEMIAM
OB ABSOLVTVM PERFECTVMQVE
MAGNIFICENTISSIMVM EIVS THEATRV:
ORATIO HABITA

A P. Blasio Larráz, Artium Magistro atque Doctore
Theologo e Societate Iesu, & Humaniorum Lite-
rarum Regio Professore Perpetuo,

XV. CAL. NOVEMB. AN. M. DCC. LXII.

IN SOLLEMNI STVDIORVM INSTAVRATIONE,
RECENS INITO CANCELLARII MVNERE

A PERILLVSTRI D. D. D. FRANCISCO
FVERTES PIQVÉR:

TYPIS EXCVSA EX DECRETO ACADEMIAE.

CERVARIAE Lacetanorum : Typis Academicis,
apud Antoniam Ibarra viduam:

PRAESIDVM FACVLTATE.

DE MAGNIFICENTIA

REGIMENTVM AEDIVIN

ACADEMIVAE CERVARIENSIS

GRATULATIO

AD BURGDVN ACADIVIN

OB ARSOLVATVN PERREGUNDINA

MAGNIFICENTISSIMA EIS THEATRUM.

ORATIO HABITA

ANNO MDCCLXII
TYPOTEGO & SOCIIS 1762. O. HERALDIUM TITEL.
ARMIS VENIS PROLEGES. P. BIBLIOT.

EX CIV. NOAVERE A.D. MDCCLXII

IN SOLLEMNIS STALIORUM MATERIALE

RECEPS INT. CONVENTU MUNERE

A. PERILLASTRI D.D. FRANCISCO

TAVRITES PIGAER:

THIS PECASY EX DECIMO ACADEMIV

CEPTE DE CERVARIA LIBRARIA. TYPIS ACCORDANT

CERVARIA LIBRARIA. TYPIS ACCORDANT

BRASSAM. MCVLATAE



MERSISTI aliquando tandem, Academia Cervariensis, ex misericordia importunis illis temporarii theatri angustiis, quæ magnitudinem istam tuam capere haud quaquam poterant, atque imminuere quodammodo videbantur. Iam ipsa loci dignitas, atque amplitudo, ubi conspiciendam te præbes, tuæ ipsius dignitati, amplitudinique respondet. Iam nunc vere regalem te ostentas, vere a maximo Principe, vere a Philippo V. conditam Academiam. Quam quidem nobilitatem etiamsi in ceteris omnibus semper alias præ te tuleris, tamen erat hoc ipso iniquius, quod non item insigni quadam theatri magnificentia præte ferres. Sed videlicet huiusce rei culpa, si quae fuit, felicitatis tuæ fuit, & virtutis; quod celebrius creveris dignitate, quam digna tantæ Academiae sedes exædificari potuisset. Ut ut id fuerit, angustiarum illarum finem, sane quam optatissimum, hodiernus tandem dies iam attulit; & quemadmodum adhuc senatus istius gravitatem exiguis illis finibus circumscriptam, planeque oppressam, cernere sine indignatione quadam non poteram; sic te hodie quum in hac loci amplitudine atque splendore sedentem specto, quin vere atque immortaliter gaudeam, facere haud quaquam possum. Aliud igitur ex me argumentum, Academia, hodierno die ne exspectes, quam ut quod oculis ex conspectu ipso haurio, quodque animo concipio gaudium, hoc in omnes dicendo effundam; tibique gratuler quod eam aliquando sedem publicam

corum agendorum conventuum nocta sis, quæ ceteram maiestatem tuam sua etiam maiestate testetur, ac vero efficiat augustiorem.

Quamquam non hoc modo theatrum, in quo sumus, quodque hodie primum ingredimur, sed totas has ædes tuas, vere regales, quas ante annos duos & viginti ingressi sumus, debere tibi mihi videor in præsentia gratulari. Nam etsi in sollempni illa studiorum instauratione, quum splendidissimam hanc musarum regiam incolere incipiebamus, non defuerit orator præstantissimus, qui tam plausibilis gratulationis argumentum copiose posset eruditique tractare: tamen prudens sciensque noluit, censuitque in id tempus differendum, quum ea, quæ rudis adhuc, nimisque indigesta moles tunc erat, maximam saltim partem exædificata iam esset, atque pæne perfecta (1). Id quod decori ratio postulare omnino etiam videbatur, ut nimirum de tuarum tibi ædium magnificentia gratulatio ne fieret, donec in magnifico item theatro a te posset exaudiri. Quæ quidem lætitia quum nobis diu multumque optantibus hodie denique obtingat; non video qui possim, quin ad illiusmodi gratulationis munus accingam me, quamvis impar; neque modo ob loci huius novitatem, quod initio dumtaxat aggrediebar, verum ob universi etiam Athenæi huius amplitudinem, & me excitem ad iusta gaudia, & ad eadem, quotquot tui sunt ordines, Academia, cunctos invitem.

Id vero quanam ego ratione, coram tanta tantorum Doctorum eruditione, & sapientia, præstare
oppor-

(1) Vide Prolusiones Philosophicas P. Matthæi Aymerich e Societate Iesu, Lib. II. Prolus. II. pag. 187.

opportunius potero, quam si magnificentiæ natura,
non quidem secundum vulgi opinionem, sed se-
cundum veram philosophiam spectata, regale hoc
scientiarum domicilium magnificum vere esse ostendeo,
& gloria magna appellatione sine con-
troversia dignissimum? Neque enim in eo positæ
sunt dumtaxat magnificentiæ rationes, quod vulgo
plerique omnes arbitrantur, nimirum in ingen-
tibus sumptibus, in pretiosa materia, in præclaris
operibus, in reliqua, quæ cerni oculis potest,
ædificii magnitudine; quæ tamen qualia hic, &
quanta sint, nemo non videt. Sed alia sunt maiora,
quæ non oculis, sed cogitatione cernuntur, & quæ
nisi adsint, quantumvis sumptuosum fuerit pretio-
sumque, nequaquam iure dici magnificum quid-
piam potest. Ac primo quidem nominis huius honor
nulli dandus est rei, nisi eius, unde res profi-
ciscitur, claritudo atque dignitas, fuerint vel in
primis insignes. Siquidem debet opus magnificum,
ut ipsa eius appellatio nos monet, usquequaque
esse magnum; quale numquam profecto foret,
si quamvis cetera splendidum, auctoris tamen igno-
bilitate vilesceret. Itaque quæ fuit Aegyptiacarum
pyramidum, ut a Plinio quidem scribitur, lauda-
tissima, eadem plane magnifica sapientum opinione
non fuit. Erat enim non uti ceteræ præclari ali-
cuius Principis, sed illius Rhodopes opus, hoc est
mulierculæ unius, quæ e serva meretrix, atque ex
meretrice ditissima, superbum illud exstruxerat,
non tam magnitudinis suæ, quam & suæ, & mul-
torum virorum principum ignominia monumen-
tum (2). Necesse est igitur ut qui ad magnificentiæ

A 3

laudem

(2) Plinii Lib. XXXVI. Nat. Hist. Cap. XII. in fine.

laudem adspirat, non modo res magnas & excellas, quod ait Tullius, cum animi ampla quadam & splendida propositione agitet, atque administret (3); verum praeclarum etiam nomen habeat, quod quum operi inscriperit, videatur suo ipse operi magnitudinem addidisse. Neque iniuria Laconibus architectis Sauro atque Bathracho, qui Romæ intra Octaviæ porticus pulcherrima templa illa ædificarunt; quamquam spe sui inscribendi nominis, non insigne solum artificium, sed ingentes etiam sumptus contulissent; negata tamen a Romanis inscriptio est (4): intererat enim multum ad templorum illorum magnificentiam, utrum duorum Græcorum hominum industriæ & opibus, an vero augustæ ipsi Romani imperii maiestati tribuenda esse viderentur. Iam igitur, si auctoris dignitas, quum ex æquo respondent cetera, ad veræ magnificentiæ rationem tantum valet; ecquid umquam tam magnificentum fuit alicubi, aut esse potuit, quod, quantum ad istiusmodi laudem spectat, huic nostro sapientiæ domicilio non anteponi dicam, sed ne cum eo conferri quidem possit? Siquidem a Regibus vere maximis conditum, erectum, perfectumque, & Philippi V. & Ferdinandi VI. & Caroli III. id est, trium Hispaniæ Regum, eorumdemque, si qui umquam, clarissimorum, magnitudinem totam præ se fert, atque intuentium oculos augusta ipsorum maiestate percellit. An putas, Academia, qui tui visendæ studio huc accedunt, quum illam ædificii frontem, quum celsas angulorum tresses, quum illustres aditus, quum amplissimas areas, quum

(3) Cicero de Invent. Lib. II. Cap. 54. editionis Oliveti.

(4) Plinius Lib. XXXVI. Cap. V. in fine.

quum longissimas ac pulcherrimas porticus, quum gymnasia, quum hoc theatrum, quum reliquas superioris ædificii partes vident, ea solum mirari eos, quæ vident? ac non potius, tantum tantorum Regum monumentum agnoscentes, eorumdem imaginem versare animo, ac tacita quadam veneratione permoveri?

Quod si in hoc excitando monumento id dumtaxat spectassent potentissimi Principes, ut nominis sui memoriam perennem facerent; neque quidquam præterea de mortalium utilitate & commodis cogitassent; fuissent illi quidem in hoc magnifici imperitorum opinione: sed veram tamen, qualisque philosophia docet magnificentiam, neque omnibus iis sumptibus, quamvis ingentibus, neque tota hacce mole, quamvis in omnem partem regali, iidem essent consequuti. Valet enim hic, ut in aliis, Phædrianum illud, *Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria* (5): quo nomine multa ex iis, quæ perinde ac magnificentiæ miracula prædicavit antiquitas, ut ab omni hominum utilitate absuerunt, sic ab ipsis multum abfuit magnificentia, sapientum iudicio. Nam ut de insanis illis M. Scauri, & C. Curionis theatris in præsentia nihil dicam (6); ut nihil de immanibus illis thermis, non instar urbium solum, sed, quemadmodum Ammianus scribit, provinciarum in modum magnis (7): ut hæc, inquam, & quam plurima id genus, non tam veræ magnificentiæ miracula, quam falsæ ac simulatae monstra & prodigia, silentio

A 4 pre-

(5) Phædrus Lib. III. Fab. XVII. in fine.

(6) Vide Plinium Lib. XXXVI. Cap. XV. in med.

(7) Vide Lipsium De Magnitudine Romana Lib. III. Cap. VIII.

premam: quid sibi tandem voluisse, aut quam denique virtutis umbram, quamvis vere alioqui magnificum, Caligulam sectatum esse existimabimus, quum, ut narrat Suetonius, Baiarum medium intervallum Puteolanas ad moles, trium millium & sexcentorum fere passuum, superbissimo ponte illo coniunxit? quæ tamen moles, postquam ipse, bido continent, per eam, triumphantis ritu, ulti citro commeavit, nunc phalerato equo, nunc curriculo biungo famosorum equorum, & prætorianorum agmine comitante (8); diruenda continuo rursus fuit; quasi eo dumtaxat fine, ut destrueretur, immenso multorum hominum labore, atque incredibilibus sumptibus exstructa esset. Cuius quidem & similius operum gloriam quisquis stultam non dixerit, quare & a vera virtute, qualis magnificentia est, prorsus alienam; is utique, quid sit utile, quid non, nescire se plane fateatur. Non enim in inani aliqua, atque ab omni civium emolumento aliena, potentiae Principis ostentatione immensam auri argenteaque vim recte sapienterque collocari facile prudens quisquam crediderit: sed potius magnificos appellabit Reges eos, qui sic opum potentiaeque magnitudinem a se ostentandam esse existimarunt, ut & urbes aut provincias ornarent suas, & cum ornamentorum decore & maiestate beneficium aliquod publicum atque insigne coniungerent. Quod sane in Academica hac mole factum esse, uti vere facere possumus, sic quoque libenter nobis gratulari debemus. Quæ moles quum sit fortunatissimæ huius urbis, quin immo universæ

Cata-

(8) Suetonius in Caligula, Cap. 19. Vide etiam Lipsium, De Magnitudine Romana Lib. III. Cap. I.

Cataloniæ pulcherrimum ornamentum; quum sit maximorum Principum potentiae testimonium illustre, corundemque præclaræ gloriae amplissimum monumentum; est etiam optimarum artium emporium, scientiarum domicilium, arx sapientiae, veritatis propugnaculum, nobilissimarum disciplinarum officina, clarissimorum Doctorum seminarium, & cuius multa atque eximia in rem publ. commoda tamdiu, quamdiu ipsorum memoria Regum, a quibus aucta est aut condita, hoc est, in omne futurum tempus exstabant.

At enim, etiamsi hæc ita sint, atque regale hoc opus, quantum ad auctoris nobilitatem, & reipub. utilitates attinet, vere sit coram philosophia magnificum; quantum tamen ad ipsam ædificii magnitudinem, quantum ad materiam & artificium, quantum ad ornatum, quantum ad id omne, quod elegancia amat aut peritia, fortasse minus est aliquanto, quam pro conditoris nomine, augustum. Næ qui sic existimet, Academia, aut numquam nostram hanc musarum domum ingressus est, neque vidit; aut quid tandem sit magnificentia numquam satis intellexit. Est enim in ea quid præcipuum decori amor, atque operum ad proprium cuiusque finem accommodata quedam ratio. Quod adeo verum est, ut ea virtus a Græcis μεγαλοπρέπεια appelletur, hoc est, si sic loqui possumus, magnidecentia: ut qua in re quid deceat non spectetur, eadem, quantumvis magna, nequeat tamen a magnificentia profici. Nisi forte pûtemus Alexandrum illum Macedonem magnificum se se præbuuisse, quum Peritæ & Bucephalo, hoc est cani & equo suis, quos in deliciis habuerat, cognomines urbes condidit ac dedita-

vit.

vit (9). Qui, quum non is esset, cui Samos, sed cui Stagira præceptorem dedissent; quum philosophiam non e Crotonis gymnasio, sed ex ipso Lycei magistro ac principe comparatisse; haud quaquam id fecisse credendus est, quod Philippi parentis animalium illas in bellus transmigrasse arbitraretur, neque tam ipsis, quam Regi patri, honorem illum detulisse. Itaque sumptuosus ea in re fuit; sed ~~μεγαληπτειας~~ in ea laudem quidem profecto non meruit: propterera quod monumentorum illorum magnitudo ac nobilitas, contra omnem decori rationem, longe maiores erant, quam pro fine; neque poterant, sine insigni indecentia vitio, ad significandam in canem aut equum unum studiosam domini voluntatem adhiberi. Non igitur quanta fieri possit maxima magnitudo, sed omnino quæ deceat, quærenda in magnificis rebus est. Quare quum nostri Reges non hic aliquam urbem, quam longe lateque extenderent, non templum Deo opt. max. quod auro gemmisque distinguerent, non regium mausoleum, quod erigerent ex pretiosis marmoreis, non aulam Principum, quam exquisite ornarent, sed omnino scientiarum Academiam exaedificandam suscepserint; quimquè hoc in genere tanta sit huius molis amplitudo atque dignitas, quantam, cum nostrates, tum exteri, quum primum vident, videre sine admiratione non possunt; ecquid iam erit, Academia, cur de tuarum ædium insigni quadam, & in omnem partem augusta magnificentia, & vere gratulari nobis non possumus, & iure etiam sapienterque gaudere?

Præsertim quump ad huiusmodi gratulationes

(9) Plutarchus in Alexandro. Aulus Gellius Lib. V. Cap. II.

II

& gaudia ornatissimus theatri huius iucundissimus
que conspectus vehementer nos excitet , accen-
datque. Quandoquidem tota ea , de qua diximus ,
quæque in universo ædificio splendet regalis magnifi-
centia , in reliquis quidem partibus reliquarum
Hispaniæ Academiarum magnificentiam facile su-
perat , at in hac una a se ipsa sine controversia
superatur . Primum enim iam ipse inferior aditus ,
per quem huc ascensuri ingredimur , geminæque
illæ scalæ ad dextram & ad sinistram amplissimæ ,
illudque , in quod ambæ desinunt , tot circumqua-
que areubus patens , ac se se explicans vestibulum ,
nescio quid magni atque regalis accendentibus spon-
dent ac prænuntiant . Tum tota hæc moles longis
porticibus imposita , supraque easdem porticus al-
tissime consurgens , veluti totius Academici ædificii
corona est . Ad hæc interior ædificatio nihil non
amplum , nihil non elegans , nihil non visu pul-
chrum , nihil non plenum dignitatis obiicit intuen-
tibus . Nam cum areæ superficies in quatuordecim
fere millia quadratorum palmorum protensa est ,
tum octonæ hæc columnæ e quadrato lapide , quæ
totum hoc medium spatiū dextra lèvaque cir-
cumscribunt , dimidiataeque illæ , quæ e regione
earumdem in muris eminent , & visu ipsæ sunt
pulcherrimæ , & visu etiam pulcherrimos totius
concamerationis fornices quam pulcherrime suspen-
tant . Accedit elegans fenestrarum ornatus , &
menianorum prospectus : sed præcipue hæc , quæ lon-
gissime excurrit , novorum subselliorum nova for-
ma , in quibus senatus tuus , Academia , veluti in
tribunali quodam sublimis , & cancellis istis muni-
tus , cum gravitate in ipse suam tuerit cum digni-
tate , tum vero reliquæ , quæ circum astat , fre-
quen-

quentiae reverentiam quamdam incutit sapientiae tuae. Quæ res omnes sic ceteram Academicarum ædium magnificentiam augent, sic hodiernum hunc atque primum in hoc theatrum ingressum omnی ex parte iucundum lætumque efficiunt, ut mihi quidem videatur haud magni a nobis lætitia tanta empta esse tam diuturna tot annorum exspectatione.

Atque ut gaudiis his tuis, Academia, maximus qui addi poterat cumulus ne decesset, opportunitate factum est, ut ad hunc novi theatri splendorem novi etiam Cancellarii splendor accederet, atque uno eodemque tempore & amplitudine loci cresceres, & dignitatis. Quæ quidem opportunitas quanta spe quamque firma faustarum rerum augere debeat lætitiam & cumulare tuam, quis non videt? Nam etiamsi ad hunc usque diem clarissimos semper moderatores nocta fueras, quoru[m] consiliis prudentiaque regereris; sed nullum tamen qui, priusquam ad id officii munus accederet, egregium iam alias specimen præbuisset litterariæ alicuius reipub. bene sapienterque administrandæ; erantque eiusmodi, de quibus in magistratu hoc ineundo affirmare tibi liceret, non quidem moderatores optimos esse, sed sperari futuros. At hunc, quem recens exceperisti, quique hodie splendidissimo hoc in theatro, universis tuis ordinibus gaudentibus atque plaudentibus, tibi præest, non iam speras futurum optimum, sed esse scis. Siquidem ille in inclita Complutensi Academia multis litterariis stipendiis rite confectis, Doctoris Professorisque honoribus gloriose perfunctus, & in insigne illud Sancti Hildephoni Collegium suffragiis omnibus cooptatus, demum id meruit, ut Collegio ipsi, univer-

universæque Academiæ regendis præficeretur. Quam fane gravissimam præfecturam ea prudentia sapientiaque gesit, ut præter illum, in quem Rector lege & more maiorum renuntiatus est annum, novo ipsi exemplo, propter eximia eius merita, decreto Regis, atque verbis amplissimis, provinciæ illius administratio semel & iterum, atque adeo tertium, extra ordinem fuerit demandata. Hic vir igitur, in antiquissimo ac per celebri Athenæo illo quasi natus & educatus, cuius in eodem egregie moderando probatissima iam diu est Principi sapientia & fides, hic est, inquam, qui ex Tarragonensi Canonic Scholarcha nunc Ilerdensis, rem denique nostram publicam suscepit gubernandam. Cuius ex lætissimo adventu, Academia, cum his plausibus & gratulationibus pæne coniuncto, non modo hodierno tuo in hoc theatrum ingressuî voluptatis multum accedit, propter spem rerum optimarum, verum etiam opportunitas singularis; propterea quod si veteres loci angustiæ magnitudini tuæ continenda iam diu impares erant, quanto fuissent magis in posterum, postquam aucta, & cumulata honoribus tanti Præsidis, facta es maior quodammodo, longeque illustrior?

Nunc vero, quoniam locus hic, in quo sumus, quique nostrarum gratulationum caussa, & pars magna fuit, non modo litterarium theatrum est, quod adhuc diximus, verum sanctissimum etiam templum, in quo Divinam Parentem in Mysterio suæ purissimæ conceptionis, tamquam Patronam Vnicam veneramur; ea sane orationi meæ pars restabat, ut hanc etiam religiosissimam lætitiam, quod Tutelari Divæ tuæ magnificum tandem templum erexeris dedicaverisque, ad extremum tibi,

Aca-

Academia, gratularer. Sed quum minime dubitem, quin pro eximio tuo, atque inflammato adversus Patronam tantam studio, multo tu potius gaudeas, multoque plausibilius ducas, quod eidem templum augustius, quam quod tibi theatrum amplius exstructum sit; non posse mihi videor, sine quadam religionis ipsius tue ac pietatis iniuria, velle isto te nomine ad iusta gaudia dicendo adhortandoque excitare. Itaque nihil iam est reliquum, nisi ut ad te, huiusc templi universæque Academiæ Diva Præses, nostra se se vertat oratio, & quæ prima coram sanctissimis istis aris habita est, tota in ipsis, atque in te conquiescat. Tu quidem adhuc ex temporario illo templo stabile nobis semper præsidium ac præsentissimum præbuisti: nunc in novo hoc constituta, longe sane augustiori, teque minus indigno, perge, qua materna es clementia, nostras nobis res omnes, atque in omne futurum tempus fortunare. Et primum Academiæ tua vota, quæcumque illa hoc in templo, & quandocumque fundet, sive pro salute & incolumentate nostrorum Principum, sive pro eorumdem victoriis, & faustis rebus, sive pro quibusvis optatis aliis, hæc tu benigne suscipe, his tu clementer annue, potentissima. Deinde magnificentissimam hanc scientiarum domum, cui ex Hispanorum Regum nobilitate, multisque ac maximis in rem publicam commodis, iam ipsi per se magnæ atque splendidæ, magnificentiae tantum accedit, diu firmam stabilemque conserva, ut neque imbrum umquam edacitate, neque ventorum impotentia, neque innumerabili annorum serie, neque bellorum impetu, neque ulla alicuius iniuria, aut invidia diruatur. Tum ingressus hodiernus in hoc theatrum, ubi ad spem firmam incolumentatis

tatis pérpetuæ tua in posterum habitatura est
 īmago, fac ut felix faustusque nobis siet; ut quæ-
 cumque hic habebuntur litterariæ concertationes,
 sint tuendæ armandæque religioni, amplificandoque
 veritatis imperio, salutares; ut quicumque hic
 Doctores creabuntur, sint in Athenæi gloriam, &
 Christianæ utilitatem reipublicæ; ut quicumque hic
 Professores novis honoribus augebuntur, eisdem
 diu incolumes florentesque frui possint. Demum
 id effice, ut rei nostræ publicæ administratio,
 a novo atque dignissimo Academiæ Præside, ad
 cumulandam hodiernæ gratulationis lætitiam,
 recens suscepta, sub tuis sit auspi-
 ciis felicissima.



causis perindeas cuius in sollestitia peregrinantis. Et
cumque, hoc in hinc salutis nomine factum in dñe-
cundis hic peregrinum intercessio sublimatione
hunc iurare timetatem levigavit, ut difficultate
affectionis impedit, tunc etiam, ut dicuntur, sic
Dogmatis circumpuncto, ut in Aperiunt gloster.
Confessus militaris ratione; in difficultate his
Tolerantes novis rationibus subservient, ceteros
qui incognitos sotocaudas tibi possunt. Demum
hi efficiunt, ut res nostra pueriles diminutissimas
et novo sedis diligimus. Accedit igitur, ut
sumulacrum pectoris, gurgitumque invicem.

Iccus suffebat, non tuis ut subi-

ca et officiis.
Hoc natus, adolecens, et puerum ac pre-
adolescentem probans, non non hot condic-
tore, longe face angustior, neque menses indigita,
perge, qui instans et clementia, et otras nobis
sunt omnia.  Torsus fortis
Est enim, quicunque
Hoc non levis, sed undecim, aliis
non fulit. Principium
longior est, et in rebus, sive
tempore, sive locis, sive fisticis,
sive in exercitu, sive in villa. Deinde
confidit, et in tempore, et in exercitu, cui
adversari, et in tempore, et in exercitu, malisque ac
adversari in tempore, et in exercitu. Iam igitur per
te natus, neque frustator, magnificatio carum
sunt, et non rursum deinde, neque confusa, ne
neque tristis, neque exortus, neque venastra in
tempore, et non rursum, neque exortus, neque
neque bellatrix natus, neque nisi aliquis inti-
mitur, aut rursum, neque. Tunc ingentius hodiernus
et non rursum, non ad suum firmasti incolum-
tatis